

ORDINIS MEDICI  
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI  
H. T. DECANVS

GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL.  
ET PHYSIC. PROVINC.

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XXII. DECEMBER. A. R. S. GIGICLCLXVIII

HABENDAM INDICIT

DE

NATVRALIBVS FEMINARVM CLAVSIS  
QVAEDAM PRAEFATVS.

ORDINIS MEDICO  
IN ACADEMIA VITENBERGENSIS  
P. T. DUCANAS  
GEORGIAE RUDOLPHIÆ BOHEMIÆ  
PHILIPPI DEUTSCHE LIBRARIÆ  
TYPIS ET FORMIS  
AD XXX. DILEXIMUS ALIAS ODE  
HABENDAM INDICIT  
AVEDUM PRAETEXTAS



OMNIS quidem humani corporis structura summam disquirentibus delectationem parit, praecipue autem ille mechanismus, quo partes quedam solidae constringuntur et relaxantur, clauduntur aperiunturque, quo contenta in iisdem fluida et retinentur et emittuntur, nunquam sine admiratione considerari, copiosamque materiam ingenium aequa pietatem exercendi nobis suppeditare poterit. Eiusmodi artificium non solum in muscularis, vasis aliquique ductibus, sed illis maxime in locis, vbi valvulae adsunt, et contentorum in et egressum dirigunt, luculentiter fatis, euidentissime vero in partibus, generationi inseruentibus, animaduertimus. Curiosissimum sage spermaticum humorem ascendere in proprio canali, non vero per eiusdem finem egredi, potius vesiculas ingredi, inque hanc conuolutionibus quasi quiescere, diuque, et in perpetuum retineri, nisi porta ante clausa naturali virtute aperiatur



tur, exitusque spermati concedatur; obstupescimus, dum in sexu sequiori vel arctissimas vias, ianua quasi munita, aliquando satis amplas atque apertas deprehendimus, vel utrum, minima cauitate instruētum, patentem tamen, certisque periodis sanguinem stillantem, eundem autem in grauiditate insigniter expansum, ast clausum et contenta sua feliciter retinentem, tandemque exprimentem consideramus. Haec autem atque alia plura porro nunc considerare nolumus, saltem in limine huius viae subsistamus, et de pudendi mulieris vestibulo, a naturali sua conditione aberrante, et praeter consuetudinem munito atque clauso quaedam annotemus.

**C O N G L V T I N A N T V R** naturalium orae in sexu feminino vel ante ipsam natuitatem, vel in adultis demum nascitur eiusmodi morbus, idque praeципue accidit, si aliis harum partium morbus, maxime exulceratio <sup>a)</sup>, praegressus fuerit. Diuersus quoque huius rei animaduertitur gradus, quandoque vrina et ipse sanguis menstruus effluere potest, in aliis vtriusque fluidi euacuatio plane cohibetur, in aliis denique vrina quidem excernitur, vaginae vteri autem orificium membrana quadam ita clausum est, vt tempore pubertatis nullus sanguinis esse possit exitus, ideoque grauissimis vexentur symptomatibus virgines. Quae differentia partim ab ipso loco, quem coalitio haec occupauit, et nunc in vtero, nunc eius vagina, nunc huius labii existit, partim à membrana, quae has partes coniungit, quaeque vel integrerrima est, vel foramine pertusa, ulterius definitur. Quiunque autem sit huius rei status, semper tamen coalitio a nimia angustia distingui, illaque feminae, quarum naturalia praeter naturam praeclusa sunt, ideoque concubitum admittere vix possunt, imperforatae siue atretae appellari solent.

S V N T quidem sexus sequioris infantes a natuitate velatae, hymenque, ostio oppositus, ab Anatomicorum plurimi,

a) vid. HIPPOCRATES de morbis mulierum L. I. c. 68. CELSVS L. VII. c. 28.

\* \* \*

mis, immo nunc fere omnibus, assumitur. Constituit illum membrana tenuis, quasi semilunaris, quae aliqua parte claudit et coarctat vaginae ostium, virinae vero, sanguinisque menstrui exitum nullo modo impedit, quaeque facile variis ex causis dilaceratur, vel si ad pubertatem illaesca mansit, primo coitu vulneratur atque consumitur. Tenerima autem haec, et quasi temporaria tunica aliquando carnosa, tendinea, callosa vel cartilaginea existit, et neque in coitu, neque aliis ex iniuriis cedit, sed constantissime remanet, tuncque morbosam conditionem et atretae speciem constituit. Ideoque inter causas sterilitatis in feminis relata fuit hymenis constans nimis diuturna, immo perpetua. Verum enim vero pueram panniculo virginali resistente ad matrimonium ineptam esse, in genere affirmandum non erit. Partim enim ille valvularum naturam habet, et non inepte cum pylori <sup>b)</sup> lamina comparari posset, ideoque mobilis erit, diuersamque directionem admittet, partim a perspirabili rore, aliquando sanguine, madefactus et relaxatus facile vel expansioni cedet, vel ipse cum vagina dilatationem obtinebit. <sup>c)</sup> Id quod non sine probabilitatis specie dictum esse, elucescit maxime ex illa, omnibus, generationi inferuentibus, partibus communis quasi et insita ad dilatationem et expansionem dispositione, vteriusque confirmatur historiis, quibus feminas, illaeo hymene impregnatas fuisse, accepimus.

VIRGINEM ex concubitu masculino concipere posse, non delecto virginitatis flore, esseque sine miraculo virginem et matrem, si illi viuenti excindatur infans, non solum PLEM-

b) Hymenem, tum formationis, tum positus ratione pyloro non absimilem, eiusque marginem rugosum aut plicatum versus sinum pudoris, ut pylorus versus Duodenum conuersum esse, monuit GÜNZIVS in Progr. de Vtero et naturalibus foeminarum p. 14.

c) Conf. PINAEVS de notis virginitatis L. I. c. 6.

\* \* \*

PIVS, <sup>a)</sup> BARTHOLINVS, <sup>e)</sup> vel si ad antiquiores respicere  
vellemus, AVICENNA <sup>f)</sup> affirmarunt, sed et fide digni Au-  
ctores eiusmodi obseruationes tradiderunt. Quas quidem  
omnes curiosius colligere nolumus, vnam alteramque modo,  
commemoratione prae reliquis dignam, saltem repetamus <sup>g)</sup>,  
non disquirentes, an illud, quo vaginae introitus occlusus  
fuit, hymen semper, an alia quaedam membrana fuerit, suf-  
ficiat, contra naturae ordinem, via hac minus aperta, ini-  
praegnatum fuisse vterum. Nonnulla, quae hoc spectant,  
exempla commemoravit HILDANVS <sup>h)</sup>, et in primis mentio-  
nem fecit puellae, quae conceperat, licet dura et callosa, ast  
foraminulis pertusa, membrana clausum fuerit matricis col-  
lum, factaque huius incisione, foetum sexto mense edidit  
perfectum. Similem fere casum recensuit BLEGNY <sup>i)</sup> de  
foemina, quae propter orificio vulvae externum, a carne  
solida, in medio minore foramine pertusa, obduratum, ste-  
rilis iudicata et a viro separata fuerat, postea vero concepit,  
et tempore partus adueniente, discissa per chirurgum carne,  
feliciter infantem emisit. Parturientem quoque se vidisse re-  
tulit FANTONVS, <sup>k)</sup> pariendi stimulis vehementer, ast fru-  
stra

<sup>a)</sup> Fundament. Medicinae Libr. II, Sect. 5. cap. ultimo.

<sup>e)</sup> In Anatome quartum renouata p. 286.

<sup>f)</sup> Libr. III. Fen. 21. Traet. IV. cap. I.

<sup>g)</sup> Qui plures desiderat, adeat RIOLANVM in Anthropographi. L. II. c. 31.

BLANCARDVM in Eph. Nat. Cur. Cent. III. Obs. 56. BORELLVM in  
Hist. Med. Cent. IV. obs. 26. MOENICHEN in Obseruati. n. 13. MAV-  
RICEAV in Obs. sur la Grossesse. Obs. 489. et 583. Conf. et SCHVRIGII  
Parthenologia p. 302. seqq.

<sup>h)</sup> Obseruationum Cent. III. Obs. 60. et 61.

<sup>i)</sup> In Zodiaco Medico gallico an I. p. 173.

<sup>k)</sup> In Anatome Diff. IX. edit. Taurinensi, p. 183.



stra follicitatam, in cuitis exploratione angustum pudendi meatum, tensissimumque annulum inuenit Chirurgus, quo sectione remoto, infans erupit. Quo vero hanc rem eo magis confirmemus, historiam maxime, a Cel. RY SCHIO<sup>1)</sup> notatam, eiusque verba repetamus: Rarum esse mulierem impraeognari salua manente membrana hymene, idque ad tempus partus, ast rarissimum vaginam vteri tempore partus, membrana praeternaturali pone hymenem esse clausam, primum monuit, et sequenti casu illustrauit: Fœmina in partu versans foetum edere non potuit, quantumuis conatus et labores partus essent adeo vehementes, ut clamoribus eius transeuntes detinerentur. Tandem me vocari inferunt obsterices, explorataque difficultatis partus causa, inueni hymenis membranam integrum, crassam valde, et a foetus capite, exitum quaerente, foras extensam, eadem vero incisa, foetus exclusionem frustra expectauit proper alteram praeternaturalem membranam crassam, vuluam profundius claudentem, foetusque exitum impedientem; peracta demum altera operatione viuus editus fuit foetus; Addidit denique Cel. Auctōr epicrisin: priorem membranam ante grauiditatem adfuisse, et hymenem in coitu illaesum mansisse, alteram autem durante grauiditate ex morbo, excoriatione forte illarum partium, evanescere existimans. Huic commode adhuc iungamus recentissime a Cl. BENEVOLI<sup>2)</sup> traditam historiam de parturiente, in qua non solum vagina vteri coarctata, immo quoad maximam partem coalita partum impeditiebat, sed et aperta per chirurgum via alia quaedam membrana, orificio vteri praefixa conspiciebatur, qua demum dissecta

1) In Observat. anat. chirurg. Cent. Obs. 22. p. 27.

2) Vid. Observationes Chirurgicas italico sermone 1747. editas, quae germanice versae insunt Sammlung chirurgischer Bemerkungen, 2. Theil. p. 16.

\* \* \*

dissecta atque remota partum edidit mater. An huius partus obstacula ante conceptionem iam adsuerint, an vero, ut altera RYVSCHTIANA membrana, grauiditatis demum tempore nata, Cl. Auctor non commemoravit. Neque necesse videtur, ut in hanc rem studiosius inquiramus; etsi enim aliquando, secundum RYVSCHTI conjecturam, eiusmodi panniculi vel septi generatio in grauidis locum haberi defendique possit, non tamen sequitur, omnes de hymene in grauidis praesente vacillare historias, praecipue cum nemo fere ante partus tempus de eiusmodi membranae praesentia cogitauerit, vel morbum, ex quo enasci soleat, cognoverit. Quo itaque omnis dubitatio magis remoueatur, aliam porro obseruationem commemoremus. A medico namque, in rebus anatomicis satis exercitato, relatum accepimus, foeminam fuisse prima vice grauidam, quae variis morbos tenetata symptomatibus quinto circiter mense immaturum edidit foetum, tandemque obiit, in cuius post mortem instituta disquisitione vaginam vteri, membrana sua tutelari munitam, atque sic in puerpera virginitatis signum integre conseruatum inuenerunt dissectores. Rem forte inauditam, creduli nimis, narramus; ast, si perpendimus partium quarundam, membranarum praecipue, expansionem insignem saepe ex morbo fieri, et in recensito casu ex morbo praegresso debilitas multumque relaxatas ante abortum fuisse partes conciimus, et denique cum GÜNZIO<sup>17</sup>), hymenis marginem in naturali statu rugosum plicatumque, et versus sinum pudoris directum assumimus, non omni probabilitate destituimus historiam, existimandum erit. Quo autem haec res, quae in medicina, praecipue forensi, magni momenti erit, extra omnem dubitationis aleam ponatur, Illustrem Berolinensem

Ana-

17) vid. supra not. b.

Anatomicum, qui secuit hanc pueroram, quique in thesauris suis anatomicis eiusdem genitalia, hymene ornata, hucusque conseruauit, vehementer rogamus, velit rarissimum hunc casum, et quae de hymene post puerperium praesente obseruauit, ipse exponere, nostram, minus completam, narrationem perficere, atque de singulari hoc naturae muliebris phaenomeno physicos conuinere.

FEMINARVM autem naturalia non aliqua tantum parte copulantur et coactantur, sed et quandoque morboſo velamento integre obducuntur prorsusque clauduntur. Id in vtero materno plerumque accidit; ast pro diuersa sede atque morbi loco maxime variat, et nunc citius nunc tardius in natis puellis obſeruatur. Vteri ipsius orificium si occlusum est, vrinam et prouectiori aetate sanguinem menstruum excernere, optimaque frui valetudine poterit femina, ideoque eiusmodi morbum adesse vix cognoscimus, occultamque sterilitatis causam post mortem demum inuenire possumus; prout inter alia, illud, a BOENNEKENIO<sup>2)</sup> de femina menstruata, quadragesimo aetatis anno mortua, orificium vteri internum densa pellucidaque membrana obductum, in sectione exhibente, notatum exemplum, declarat. Grauiora vero symptomata producit praeternaturalis haec conditio, si pudendi vestibulum occupauit; eademque vel propter denegatum vrinæ effluxum statim post natuitatem cognoscitur, vel ubi haec excretio impedita non est, prouectiori demum aetate, denegato sanguinis menstrui stillicidio animaduertitur. In vtroque caſu verae ſunt attretæ, ad concubitum prorsus ineptæ, vnicumque ſolatium ac remedium in chirurgica operatione inueniunt. Haec facili quidem nego-

<sup>2)</sup> vid. Fränkische Sammlungen VI. Band p. 394. Alia exempla collegit SCHYRIGIVS in Muliebr. p. 224.



tio ut plurimum instituitur, aliquando tamen non sine difficultate, immo plane non exerceri potest. Si enim tenuis membrana opponitur, facilime scalpello eadem remouebitur, si vero, ut H E I S T E R V S<sup>p)</sup> bene monuit, coalitus est fortis et profundus, adeoque ope crassae substantiae carneae, difficulter curatur, et facile vesica ac intestinum rectum laedi potest; hinc etiam Cl. R O O N H V S I V S, qui plura eiusmodi imperforatarum exempla commemoravit, curationemque descripsit<sup>q)</sup>, se in operatione aliquando adiacentes partes vulnerasse, libere fassus fuit. Plerumque tamen res bene succedit, et prout in parturientibus panniculus, foetus extum paecludens, scalpello remotus fuit, ita et in virginibus adultioribus, multoque facilius iunioribus, coalita pudenda aperta, viaque illae patulae factae fuerunt. Optimo successu institutae huius operationis exempla hinc inde apprehendimus<sup>r)</sup>, et inter recentiores eiusmodi de puella octodecim annorum suis obseruationibus inferuit B E N E V O L I<sup>s)</sup>; aliudque nuper admodum, de virgine annorum fere 26. commemorauit Cl. S A N N I E<sup>t)</sup>, cuius orificium vaginae exter-

~~tof sit in rau subdo surdum enpsibion leg sicut m~~ num

<sup>p)</sup> Chirurg. Part. II. Sect. V. c. 46. cum quo etiam consenit P L A T N E R V S, scribens: si caro pudendum replevit, idque protinus in utero matris euenit, malum saepe nullam curationem recipit. vid. Chirurg. edit. lat. §. 1442.

<sup>q)</sup> vid. EIUS Chirurgische Heiluren p. 112. sqq.

<sup>r)</sup> Conf. B E N I V E N I V S de abditis morborum cauiss cap. 28. S C H E N C K I O bseruat. medicar. Lib. IV. obs. 12. sqq. S E N N E R T I Institut. Medic. L. V. P. I. Sect. 2. cap. 7. F R A N C K E N A V Satyr. Med. p. 20. B E C K E R I Παθογνωτικη inculpata ad seruandam pueroram Gislae 1729. edit. M E C K R E N O bseruat. Chirurg. et alii, Collegit nonnulla S C H Y R I G I V S in Muliebr. p. 177.

<sup>s)</sup> loc. cit. part. 2. p. 1.

<sup>t)</sup> In Commentariis Societatis Harlemonis, bellico sermone editis Part. V. p. 434 similem fere casum N A S O T H V S quoque obseruauit in virgine, ~~igitur q~~ cuius

num membrana coerulecente, hinc inde nigricante et glabra, ab anteriore ad posteriorem partem sex longa, ab uno labiorum ad alterum tres lata pollices, antrorsumque extra labia quodammodo prominente clausum erat, abdomine valde tenso et tumido, vesica aquae ac vagina multum quoque expansis; membranae sectione fine vlo fere virginis dolore instituta, magna sanguinis, per septem et plures annos in vagina collecti, copia effluxit, breui deinceps tempore conualuit aegra, mensiumque fluxu consecuta, matrimonium inuit, et prolem in lucem edidit. Felicem efusmodi curationis successum exoptamus etiam Atretae, quae Clarissimi nostri Candidati auxilium implorauit. Et cum accurate conscriptam huius morbi historiam nobis communicauerit, eandemque ad commendationem Eius multum conferre posse, merito existimemus, prioribus illam apponere, integrumque hic repetere voluimus.

**RUSTICA** puella decem et septem annos nata, venustate pariter ac corporis proceritate insignis, catameniorum fluorem nondum experta est, satis tamen laete valuit, usque dum, florido corporis habitu in hippocraticum mutato, in languorem cachecticum incidit, dolet caput, appetitus prosternitur, pondus grauatiuum extremitates obsidet inferiores, palpitat cor, symptomata, mensium defectu laborantes feminas, virginesque chlorosi affectas, ut plurimum infestantia, quae de die in diem exasperata in paroxysmi speciem degenerarunt, singulis viginti quatuor horis, meridiem versus recurrentem summe dolorificam. Oriuntur nimirum eo tempore tensiones acutissimae in regione epigastrica ad pudoris finum

B 2 defle-

cuius omnem orificii vaginae circumferentiam membrana praeternaturalis occupauerat, et quia menstrua exitum non inuenirent, cauitate abdominis insigniter distensa laborauerat, facta autem incisione notabilis humoris, loturae carnis similis, copia effluxerat. vid. Dist. de sterilitate mulierum §. 4.



deflectentes, inflatur abdomen, et cruciatus exquisitissimi in ipsa vagina sentiuntur, qui paucis abhinc septimanis primum, sine quadam evidenti praegressa caufsa, aegram inuaseruit, et nunc hanc paroxysmi speciem fistunt. Quos tamen ulterius perferre nolens aegra meum implorat auxilium. Parentes tamen genuinae harum afflictionum cauflae ignari emmennagorum exoptant, quod ipsis etiam satis lene exhibetur. Dolores inde exacerbantur, et per ipsum muliebrem sinum aliquid prorumpere velle conqueritur aegrota, haud secus ac si prolapsus accidere deberet. Ultimi praecipue symptomatis rectione percepta, haec omnia ipse scrutandi me incessit cupidio. Tumor erat, qui totam exacte paecludebat vaginam ad eius usque orificium, adeo, ut nedum setam porcinam intromiseric, satis durus et tangentis digito renitens, incipiens statim supra vrethrae limbum in ea circumferentia, cui agglutinatur in naturali statu hymen, quem tamen dignoscere non licebat, siquidem, ut auguror, cum tumoris basi tam arcte concretus, ut unum idemque corpus cum illo efficiebat, quod omnem recusans in vaginam introitum, aegram perfecte atretam reddebat. Satis tamen tenax, quin aponeurotica videbatur externe humorem ingestiens, pro hymene habita membrana. Tumor vero, qui diductis labiis illico conspiciabatur et contrectabatur, volumen metiri non poteram, nisi quatenus in epigastrio, per integumenta abdominalia, statim supra synchondrosin ossium pubis sese manifestabat, ambitus globi minoris, conorum lusibus accommodati, radicem quasi dimittendo in iliaca regionem sinistram, laquei instar tensi. Cum ipso eo tempore accedebam, quo tumor magis versus finum vrgebatur, dolores vero tensionesque erant intensissimi, rem satis examinari non posse, facile perspexi, sed fomentationes potius ex herbis emollientibus, itidemque cataplas-

ma

ma calidum parti abdominis dolenti applicare curauit, quorum vsu dolores citius ac alias mitescebat. Altero mane reuersus, vix tamen rerum faciem mutatam deprehendi, nisi quod, quem demissiori loco conspicerem tumorem, nunc altiora paullo petuisse animaduerterem, aequae tamen renitebatur, et dolores ciebat intolerabiles, dum leni adhibita vi illum ambire, et vaginalc introitum quacerere volui. Simul qui aderat Chirurgus, palma abdomini imposita, fluctuationem in tumore detegere sibi persuasit, me nihil eorum percipiente. A primo intuitu vix aliquid mutatum apparebat externe, praeter labium pudendaē sinistrum, quod paulisper tumebat, mammae nec turgidae nec durae erant. *Hactenus Ille.*

PRAETER NATURALI hac partium conformatione cognita, solliciteque consideratis omnibus, quae puella hactenus perpessa fuit, symptomatibus, tristem euentum facile praedita, atque operationem omni modo suasit Clar. Candidatus. Renitebatur autem et puella et eius mater diu, donec tandem praeiudicatis opinionibus per Excell. Collegam Doct. LANGCVTHIVM meque ipsum dispulsis, felicissimoque euentu certissime promisso, permittebant, vt dexterimus huius ciuitatis Chirurgus, Dn. GLEISBERG, nobis praesentibus, manum admoueret, et quae perfecte clausa erant naturalia scalpello aperiret. Discisa itaque per longitudinalem, a superiori, vrethrae proxima, parte ad inferiorem deductam sectionem, membrana crassa, quam carnem pene dicere posses, magna statim densissimi, fere coagulati, hepatici coloris, non tamen foetidi, effluxit sanguinis copia, tres facile libras pondere superans, simulque abdomen, vel potius uterus, antea insigniter a contento cruro expansus, euidenter decrevit, et breui tempore naturalem quasi diametrum obtinuit.

Quo



Quo vero omnis in haec caua effusus sanguis evacuaretur,  
iniectiones emollientis decocti et nunc et sequentibus diebus  
per apertam portam instituit Chirurgus, turundisque ex radice  
Althaeae factis, et secundum artis regulas immisssis confirmatisque,  
ora vulneris magis atque magis a se inuicem separauit,  
nouamque consolidationem feliciter auertit. Ita ex connato  
morbo demum conualuit puella, quinta post operationem  
die, scil 13. Decembr. a. c. Chirurgi domum reliquit, et  
quae,

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis,  
nuptias inire non potuerat, solutis nunc vinculis foecunda  
esse poterit mater. Verum hic subsisto, meque potius ad id  
conuerto officium, cuius caufa haec prolusio instituta suit;  
Publica enim commendatione dignam iudicamus egregiam,  
quam in medicina addiscenda adhibuit, industriam

VIR NOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS  
IOHANNES GVILIELMV S FRIDERICVS KÜHNIUS,  
MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS

qui vitae suae atque studiorum rationes sic nobis Ipse ex-  
posuit:

*Ego, IOANNES GVILIELMV S FRIDERICVS KÜHN  
almam banc lucem primum aspexi Iutrebogae prid. Cal. Aug.  
Anno MDCCXLII. Pater mibi contigit Godofredus Fri-  
dericus Kübn, Chirurgus ibidem et Balneator, mater autem  
Sophia Elisabetha, ex gente sacerdotali Redslobia, quam  
mibi,*

mibi, prob dolor! praematura mors nimis cito eripuit. Qui cari parentes omnem adbibuerunt operam in me educando, et animum ceraceum, cuiuscunque generis impressiones facile suscipientem, optime formando. A tenerrima enim aetate me institutione priuata erudiri curarunt, donec in eo essem, ut scholam oppidanam frequentarem, priuatas lectiones semper retinendo. Rectorem habui B. Hoffmannum, ex cuius instructione multum virilitatis percepi, Correctores B. M. Weidlerum et M. Wildium, Diaconum nunc apud Niemecenses meritissimum, ex cuius solida doctrina, aptaque docendi metbodo me plurima profecisse, gratus recordor. Neque minus debo lectionibus ex ore suauissimo, Schernbaueri, Cantoris in patria vrbe longe aestimatissimi meritissimique, percepitis, qui puerilem tunc temporis animum, comi, qua pollet, seueritate diligentissime erudituit. Laudabili quoque opera, scientiam meam ditandi, allaboravit M. Schenckius Collega scholae III. Quorum omnium vix satis laudandorum Virorum in me merita memoriamque eorum sacram usque seruabo. Iactis scientiarum fundamentis generalioribus, ad altiora animum composui, et patris penatibus relictis, inclytam, quae Vitebergae floret; musarum sedem adii Anno MDCCXLII. Mensa Octobr. ciuibus academicis antea iam die scilicet III. mens. Febr. adnumeratus, Rectore Magnif. D. Bochmero, Praeside nunc Grauissimo et Patrono ad cineres usque pie colendo. Singulari autem ductus ardore artem salutarem addiscendi, Medicorum longe Clarissimorum scholis publicis aeque ac priuatis interfui. Ex locupletissimo eruditionis penu Illustris et Venerandi Senis nostri Trilleri, priuata et publica collocutione, multa egregia haus. Excellentissimus Langguth, facunditate ac doctrina pariter insignis, fidelissime mibi tradidit Pathologiam, utramque Therapiam, Chirurgiam

giam, Medicinam foventem, Artemque obstetriciam. Excellentissimus vero Boebmer, *Vir solidissimae eruditionis miraque assiduitatis, Anatomiae partes quasdam et in cadauere demonstrauit, porro, pro more suo, succincte et docte, Physiologiae principiis, reiterata vice explicatis, Materiae deinde medicae, et singulis aestatis Botanices dogmatibus animum docilem imbuuit, ex eius quoque disputatoriis exercitationibus, amplissimam hanc uitilitatem.* Excellent. Titius *Vir indefessi studii, cuius longe lateque patet laus, utramque me docuit Physicam, theoereticam atque experimentalem et Logicam.* Ex diserto autem ore Excellentissimi, Meritissime Hilleri, *Viri profundissimae doctrinae, summaeque existimationis, omnem percepi Philosophiam theoreticam, aequa ac practicam.* Sacra quaedam reverentia, pectus meum occupans, quoties canque tantorum Virorum nomina pronuncio, verba, quibus in eorum debitas laudes excurrendum foret, absorbendo, piam ori imperat silentium. Tanta enim tamque innumera in me eorum sunt benefacta, quae commemorare tantum, non vero satis dignis efferre possum laudibus. Permittatis igitur Excellentissimi Viro, ut votis ardentissimis, pro sempiterna incolumitate Vestra, fuis, tacite Vos venerer. Discendi autem cupiditas, quinquennio in hac Academia completo, Argentinam petere me compulit. Per annum ibi commoratus, Anatomen vniuersam, in publico Germanorum theatro, ab Excellentiss. Pfessingero, verum anatomicarum peritissimo, et mirandae industriae, demonstratam accepi, ipsisque cadauerum sectionibus manus diligenter admoui, a laudato Professore singulariter adiutus. Cuius in me benefacta praeftataque humanitas, qua me non hospitio solum lubentissime excepit, verum omnis etiam generis fauoribus, largo cumulo ornauit, quos neque laudibus satis exprimere, neque gratibus decenter repen-

rependere valeo. Nec non accuratissimae demonstrationes ingeniosissimi et exercitatissimi Lobsteinii, *Anatomiae nunc Professoris Ord. eximiam mibi praestiterunt vilitatem.* Operationes quoque chirurgicas, duce Clariss. Pfessingero, in defundis ipse administraui, quarum tamen plures et in Nosocomio gallico obseruare licuit. Excellentiss. deinde Weigen, obstetricans ciuitatis medicus, *Vir amplissimae experientiae, famaeque satis diffusae, artem obstetriciam fidelissime mibi exposuit, meque eandem ad eius manuductiones exercere docuit.* Ut denique in praxi quoque proficerem, Xenodochium oppidanum quotidie visitando, institutione p[ro]ae primis Doctiss. Ebrmanni iunioris, Medici xenodochici et Practici apud Argentinenses felicissimi, sum usus. Aureas etiam collegi Prae-  
xeos regulas, quoties Excellentiss. Spielmann, verumque medicarum omnis generis peritissimus Ebrmann pater, Nosocomium intrarunt. Neque iter meum sine omni fructu esse volui, desflexionibus ergo hinc inde factis, plures nobilissimas urbes, inclytas satis Academias, Virosque in arte Clarissimos, vidiz et visitaui, quod mibi multum profuit, occasionem mibi subministrando, varia antiquitatis monumenta, bibliothecas egregias, verumque naturalium curiosissimarum, artificiosissimarum, et memoratu dignissimarum numerosas collectiones obseruandi. Ex itinere tandem redux, gratiosum Academiae huius medicorum ordinem sollicitau[er]i, ut ad Caibedram me beneuole admitterent, quibus humanissimis pre-  
cibus annuere haud deditiati sunt. \*

Ita scientia atque peritia instructus Facultati nostrae desiderium modeste exposuit, summosque in Arte Salutari honores petiit. Exploratis ergo antea, in Examine cum Ipso instituto,

AK Tu 243

tuto, Eius profectibus, dignus omnino inuentus fuit, cui aditus ad summos honores acquirendos aperiretur. Hinc disputationis inauguralis de *Causis uterum impraeognatum distendentibus*, habendae Ipsi facta est copia, quam totam Auctor conscripsit, et me moderatore d. xxii. Decembr. publice ventilabit. Cui solemni actui, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMVS COMES, PERILLVSTRIS LIBER BARO, ACADEMIAE PROCERES, FAVTORES, GENEROSI AC NOBILISSIMI LITTERARVM STUDIOSI frequenter interesse velint, omnes ac singulos obseruan- tissime et humanissime rogamus atque inquitamus.

P. P. Domin. IV. Aduent. A. R. S. MDCCCLXVIII.

EX OFFICINA GERDESIANA.



X2346609

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches



I S M E D I C I  
A V V I T T E B E R G E N S I  
D E C A N V S  
D O L P H V S B O E H M E R  
. A N A T . E T B O T A N . P R O F . P V B L .  
Y S I C . P R O V I N C .  
R I N M E D I C A M  
M B R . A . R . S . G I C C I C C L X V I I I  
I N D A M I N D I C I T  
D E  
F E M I N A R V M C L A V S I S  
A M P R A E F A T V S .